

*Subgen.* GYMNOCHIOTA.

Tentacula evolucrata.

Spec. 2. STICHOPUS (*Gymnochiota*) *cinerascens* Br.

HOLOTHURIA n. 19. *Mss. Mertensii*.

Corpus dorso convexum, infra planum, spithamae longitudine vel infra et ultra, pollicis circiter crassitie. Tota cinerascens, sed nigro subirrorata et dorso maculis nonnullis majoribus, transversis, nigricantibus tincta. Dorsum eminentiis mamillatis, sparsis, frequentibus, magnitudine inaequalibus, e quibus pedes exoriuntur, obsessum. Pedum in quovis ordine admodum numerosorum et tentaculorum color albo-cinerascens.

Inter lapides in insulis Boninsimensibus.